



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Philippi Servii Amicus Fidelis Usque Ad Mortem

Bouchy, Philippe

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. V. [Tres utiles Orationes pro agonizante.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54799](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54799)

Deo claves regni cælestis traditæ sunt. Adjuvet eum Sanctus Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vaselectionis Intercedat pro eo Sanctus Joannes electus Dei Apostolus, cui revelata sunt secreta cælestia. Orent pro eo omnes sancti Apostoli, quibus a Domino data est potestas ligandi atque solvendi. Intercedant pro eo omnes Sancti Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc sæculo sustinuerunt; ut vinculis carnis exutus pervenire mereatur ad gloriam regni cælestis; præstante Domino nostro Jesu Christo Qui cum Patre & Spiritu sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. *Resp. Amen.*

## §. VI

**Q**Via diutius, interdum, laborat anima, consultum erit habere ad manum nonnullas alias Orationes, quæ superioribus annectantur. Reverendus P. Bartholomæus ab Angelis, ex illustri S. Dominici familia,

milia, libro quem scripsit de præparatione ad mortem, narrat è Summis Pontificibus unum extitisse qui ministro suo Sacerdoti seriò injunxit, ut cum se in agonia constitutum cerneret, ter Orationem Dominicam nomine suo recitaret: Primò, in honorem sive memoriam agonix, dolorumque, quos in horto Jesus Christus passus est. Secundò in honorem sive memoriam eorum quæ in Cruce pertulit, maximè cum anima ejus benedicta è suo corpore egressa est. Tertiò in honorem sive memoriam charitatis, quæ illum è cælo traxit in terram, ut nos è terra in cælum attolleret. Vix è vivis abierat Pontifex, cum ecce tibi appareret, gratiasque agit Amico illi fidei, qui ter Orationem Dominicam recitaverat, asserens Christum Jesum absoluta prima oratione, æterno patri sanguinem, quem in horto sudaverat repræsentasse, & exemplo ejus contemplatione ab omnibus mortis doloribus angustiisque libe-

M 3

ratum

ratum esse. Finita verò secunda, omnes animæ suæ maculas ita emaculatas esse ut ne minimum quidem earum vestigium superesset. Finita autem tertia agebat Christum Dominum cælum apertum sibi ostendisse, seque ad eò in illud ineffabili gaudio lætitiæque subsultantem admissum esse.

Extant passim, hujus argumenti ternæ Orationes, idè magni apud me ponderis quod eas Rituale Romanum pias atque utiles morientibus asseverat, iisque totidem orationes Dominicæ, Salutationesq; Angelicas annectit hoc ordine & modo.

Kyrie eleyson.

Christe eleyson.

Kyrie eleyson.

Pater noster. Ave Maria.

### ORATIO.

**D**omine Jesu Christe, per tuam sanctissimam agoniam, & orationem quâ orasti pro nobis in monte

te Oliveti, quando factus est sudor  
 tuus sicut guttæ sanguinis decurrē-  
 tis in terram. obsecro te, ut multitu-  
 dinem sudoris tui sanguinei, quem  
 præ timoris angustia copiosissime  
 pro nobis effudisti, offerre & osten-  
 dere digneris Deo Patri omnipoten-  
 ti contra multitudinem peccatorum  
 hujus famuli tui N. & libera eum in  
 hora mortis suæ, ab omnibus pœnis,  
 & angustis, quas pro peccatis suis se  
 timet meruisse. Qui cum Patre, &  
 Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus  
 in sæcula sæculorum.

*Resp. Amen.*

Kyrie eleyson.

Christe eleyson Kyrie eleyson.

Pater noster. Ave Maria.

### ORATIO.

**D**omine Jesu Christe, qui pro no-  
 bis mori dignatus es in Cruce,  
 obsecro te, ut omnes amaritudines  
 passionum, & pœnarum tuarum  
 quas pro nobis miseris peccatoribus

M 4

susti-

sustinuisti in Cruce, maximè in illâ  
 horâ, quando sanctissima anima tua  
 egressa est de sanctissimo corpore  
 tuo, offerre, & ostendere digneris  
 Deo Patri omnipotenti pro anima  
 famuli tui N. & libera eum in hac  
 horamortis ab omnibus pœnis &  
 passionibus, quas pro peccatis suis se  
 timet meruisse. Qui cum Patre, &  
 Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus  
 in sæcula sæculorum.

*Resp.* Amen.

Kyrie eleyson Christe eleyson.

Kyrie eleyson.

Pater noster, Ave Maria.

### ORATIO.

**D**omine Jesu Christe, qui per  
 Prophetæ dixisti: in charitate  
 perpetua dilexisti te, idèd attraxisti  
 miserans: obsecro te, ut eamde chari-  
 tatem tuam, quæ te de cœlis in terram  
 ram ad tolerandas omnium Passio-  
 num tuarum amaritudines attraxisti  
 offerre & ostendere digneris Deo  
 patri

Patri omnipotenti pro anima hujus famuli tui N. & libera eum ab omnibus passionibus & pœnis, quas pro peccatis suis timet se meruisse: & salva animã ejus in hac hora exitus sui: aperi ei ianuam vitæ, & fac eum gaudere cum Sanctis tuis in gloria æterna. Et tu piissime Domine Iesu Christe, qui redemisti nos pretiosissimo Sanguine tuo, miserere animæ hujus famuli tui, & eum introduce digneris ad semper virentia, & amœna loca Paradisi, ut vivat tibi amore indivisibili, qui à te, & ab electis tuis numquam separari potest. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis; & regnas deus in sæcula sæculorum. Resp. Amen.

Si verum est, quod est verissimum aliud non esse nomen sub Sole datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri, nunc certè, si unquam, maximè honorandum, maximèque invocandum est.